Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Si dedero somnum oculis meis: et palpebris meis domitationē.

Et requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino: tabernaculum deo Jacob.

Ecce audiuimus eam in Effrata: inuenimus eam in campis siluæ.

Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.

Surge domine in requiem tuam: tu et Archa sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur iusticia: et sancti exultent.

Propter Dauid seruum tuum: non auertas faciem Christi tui.

Iurauit Dominus Dauid ueritatem: et non frustrabitur eum: de fructu uentris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filij tui testamentum meum: et testimonia mea hæc: quæ docebo eos.

Et filij eorum usq; in seculum: sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit dominus Syon: elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo: quoniam elegi eam.